Quaestio medica Cardinalitiis disputationib. agitanda In Scholis medicorum, die Jovis 15a Septemb. D. Philiberto Laudenoto D. M. Moderatore sapientiss.

An Putridis febribus Venae sectio utilis?

Nativus calor in corde vim toti animali, velut sole universo, dimittente, tandem in omnes corporis partes blandus ac suavis diffluit, easque calore suo vernaculo velut distinctas conservat, et ad munus obeundum excitat, dum nullis vel internis interturbatur, vel externarum incursionibus oppugnatur. Sed cum primum oborta est ab iis contentio, semper corpori perniciosa, pro varietate in quibus conflictatur locis, variisque conflictandi modis, morbi numero quidem infiniti, triplici tamen genere comprehensi oriuntur. Ex similaribus sunt febres iis fugandae, quae inutilem humorem trahunt, affluentem commovent, corpus exurunt, instabilem reddunt, refrigerant.

Febres omnes in tria genera pro triplici materia calori praeter naturam in corde (quo non patiente febris nulla) per universum corpus grassanti, et actionem primum laedenti subiecta distinguuntur. Nam si calor febrilis a naturali quantitate, qualitate, et actionibus dissidens in solis spiritibus fuerit accensus, sit febris ephemera omnium ~~simplex~~ simplicissima: si in humoribus citra putredinem, synochus non putris: si cum putredine, putris gignitur, multa gracile et frigidum corpus invadens. Sed quibus ex humore non aequabiliter putrescente calor accenditur intra vasa, continuae; intermittentibus periculosiores; quibus extra vasa, vel sub maxime circum praecordia, intermittentes prosiliunt, continuae nunquam. Utraeque autem tertianae appellantur, si putrescens humor bilis, quam caeterorum humorum magis particeps fuerit; si pituitae, quotidianae: si melancholiae, quartanae. A sanguine nullae.

Cum vero calor spiritibus et humoribus iam inflammatis partium solidarum substantiam obsidet, fit hectica, non semper tamen ab aliis iam grassantibus orta. quae nisi diligenter ab initio curetur, viribus secundariis humoribus ab immani calore humido primigenio iam depopulato absumptis, in marasmum degenerat, morbum prorsus immedicabilem. Aliae sunt febres pestilentes, quae maligna quadam qualitate variis de causis tum evidentibus, tum abditis caelestibusque devectis aerem inficiente humanum genus sub specie aliqua continentium miserabiliter corripiunt. Aliae sunt nothae, quae plurium humorum insignite fervescentium dominatu, vel simplicis unius, excitantur. Aliae symptomaticae ab acutis morbis inseparabiles, quarum materia in aliqua corporis parte inflammata, putrisque residet.

In febribus, vel in omnibus aliis morbis sanandis, habenda est ratio diaetae, pharmaciae et chirurgiae. haec commode fiunt sumptis indicationibus ab affectu corporis, et ambiente nos aere. Nullae sumuntur a symptomatis. febrilis affectus qui sint, quales, et quando solvantur, indicant naturae, quarum calidae siccae febribus omnibus maxime sunt obnoxiae, sed curatu faciles; frigidae omnium minime: anni tempora, quorum singulis suae sunt febres congruentes: corporum calidorum, periodorum ac paroxismorum varietas, quae soli qualitati humorum suos motus ~~statis~~ statis temporibus, et eodem semper modo habentium, vel protensio substantiae et quantitati, exacerbatio utriusque acribus debetur: rigores intermittentium proprii: pulsus, qui arteriae una cum corde ad refrigerandum partium calorem dilatatis recipiendo, et ad eundem purgandum contractis emittendo, omnibus febribus celeres, frequentesque ac magni, nullis duri, putridis inaequales esse solent: urinae, quae in diariis, vel in pestilentibus, parum a naturali statu recedunt, in putridis semper initio sunt crudae, continentium species et tempora multo certius, quam intermittentium declarant: dies critici, qui motu naturae ex utroque lunari circuitu (altero communi non plus 26 dies et horas 12 dimenso: altero, qui suis cuiusque est principiis maxime proprius est, horis 20 longiori) potentiam sortita certo intercurrunt, vel septimo, qui quovis alio, velut imparibus paribus est fortior.

Et autem singularum febrium notae sunt propriae atque communes: sic et curationes. Victus humidus febricitantibus omnibus, vel parcus, utilis: calida inimica. Ephemerae a causis procatarcticis semper initium ducentes, victum boni succi, vinum magis, quam aquam requirunt, hecticae insuper magis humectandae, quam refrigerandae, lac asininum, balnea iuvant pestiferae alexiteria, vel bolus armena. et putridis sua cuique sunt cathartica suum quaeque humorem utilius et facilius natura expellente trahentia. haec autem et alia eiusmodi, licet febricitantibus et obstructionibus liberandis saluberrima, tamen haud bene proficiunt, quin etiam plerumque maiores affectus reddunt, nisi venae sectio in omni propemodum genere febrium et maxime putridarum, vel nullis plethorae signis apparentibus ad humorem inutiliter affluentem revocandum, eum, qui iam affluxit, vacuandum, naturam levandam, incendium extinguendum, interdum etiam ad lipothymiam usque studiose praemittatur.

Ergo Putridis febribus venae sectio utilis.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Ponebat Emundus Perdrisot Lingonensis. 1575.